



176

1. W

m

1

29

W

1

26.

177

1.

9

3. W.  
1793  
A(2)



et 3.  
D. de  
§. 2.  
L. 23.  
ccc. 1.  
nberg.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
STATU MONARCHICO  
ET  
POLIARCHICO

QUAM  
CONSENTIENTE ILLUSTRI ICTORUM ORDINE IN PERAN-  
TIQUA ELECTORALI UNIVERSITATE ERFORDIENSI

ABSQUE PRAESIDE  
PUBLICÉ DEFENDET  
PRO GRADU DOCTORATUS  
FERDINANDUS PHILIPPUS LISTEMANN,  
HAGIOPLITANUS, PER EICHSFELDIAM ADVOCATUS RECEPTUS.

---

ERFORDIAE  
LITTERIS GOERLINGIANIS, ACADEM. TYPOGR.





REVERENDISSIMO AC CLEMENTISSIMO  
D O M I N O  
CAROLO THEODORO ANTONIO  
M A R I A E

ARCHIEPISCOPO TARSENSI,  
COADJUTORI MOGUNTINO, WORMATIENSI, ET CONSTAN-  
TIENSI, PROPRINCIPI CIVITATIS ERFORDIENSIS  
ETC. ETC. ETC.

D O M I N O C L E M E N T I S S I M O  
HANC DISSERTATIUNCULAM  
DEVOTISSIME DICAT

*servus demissimus*  
FERDINANDUS PHILIPPUS LISTEMANN.



IN VENDEMISSIMO AC CLEMENTISSIMO

DOMINO

CAROLO THEODORE SANTO

MARIA

ARCHIEPISCOPO TARRACONI

CAUDILIO MUNDINIO, MURMELIUS, ET GONZATI

XIUS, PONTIFICIS DIVITIAS PROLITERIS

ETC ETC ETC

DOMINO GLORIANDISSIMO

HOC DISSECRATIONUM

LAUDIS DICAT

LAUDIS DICAT

LAUDIS DICAT

## C O N S P E C T U S.

---

### Cap. I.

De hodiernis Europae fatis.

### Cap. II.

De Poliarchia.

Memb. 1. de Democratia.

Memb. 2. de Aristocratia.

### Cap. III.

De Monarchia.

### Cap. IV.

An forma rei publicae a civibus mutari possit.

### Cap. V.

De remediis obviandi nefandis subditorum conatibus.

### E p i l o g u s.

### Cap. VI.

Theses ex Iure publico controverso, ut amplior sit disputandi campus, adjectae.

---

A

P R A E-



P R A E F A T I O.

Quae vobis destinaveram, retineo. — Primum elaborationis meae obiectum, amplior ut sit disputandi campus, in theses redactum huic opusculo addeci. — Perfecteram jam laborem primum, sed ratio quaedam incrementem mutarem me induxit. —

Vilis quem vobis trado unius diei labor est — longius subita propositi mutatio tempus mihi non concessit. — Parcite ideo si errarim; parcite, si minus eleganti stylo rem exposuerim. — Est id quod benvolum Lectorem rogo, obsecro, obtestor. —

**Cap. 1.**

*De hodiernis Europae fatis.*

**§. 1.**

Perversa, impia, detestanda principia, male, intellecta libertas, mores penitus corrupti tori Europae minantur interitum. — Bella intestina devastant Galliam, nefanda Gallorum principia corrumpunt Germanos, omnis Europae orbis implicatur bellis, et tota tandem Europae salus periclitatur. — Summi Imperantes, quorum olim personae sanctae erant, rabidorum exponuntur hodie subditorum injuriis, incarcera-  
rantur, deponuntur, occiduntur. — O tempora, o mores!

**§. 2.**

Libertas, illud Chimaereum phantasma, quod atris pseudo-patriotarum sensum involvit nubibus, perversi in Gallia publice, in Germania, quod plorandum est, passim clandestine valentis systematis est fundamentum.



4

Systema hoc omne imperium in Imperantem a populo translatum,  
huic iterum, si salus publica id exigat, auferri, principem deponi,  
aliamque regiminis formam invechi posse statuit —

§. 3.

Salutis publicae aequa perversa idea hodie undique obtinet: illam  
enim exigere auctumant, ut Imperantibus jura majestatica adimantur,  
nobiles de possessionibus suis dejiciantur, cives oneribus publicis liberentur,  
omnis subordinatio tollatur, contra sentientes occidantur, et ut  
verbo dicam, summa imis miscantur atque confundantur.

§. 4.

Patriotarum pseudographemata publici juris thesin Principibus  
dominium eminens competere, evertunt, reges civium potius subditos  
esse, singulis annis rationes Villicationis suae reddere debere, aliaque  
ejusmodi non numeranda absurdia demonstrant.

§. 5.

Status ergo Europae inter scillam et charybdis fluctuat. — Principes, ni clementia, aut vi systemata, quae altas jam egerunt radices,  
extirpare poterint; timeo, ne Galliam nunc vastantes turbae transeat  
ad vicinos populos, et tandem per totam, quam late patet Europam  
diffundantur. —

Cap. II.

Cap. II.

*De Poliarchia.*

§. 1.

Longe lateque inter I. P. Doctores disputatum est, num monarchica, num poliarchica regiminis forma praeferenda sit. — Uniuscujusque commoda et incommoda recensiebo.

§. 2.

Poliarchia in democratiam, et aristocratiam dispescitur: de hac membro 2., de illa membro sequente agere proposui.

Membrum 1.

*De Democratis.*

§. 1.

Democratia poliarchia est, ubi penes populum complexus jurium majestaticorum residet.

§. 2.

Ex democratae definitione patet, iura majestatica, sed a populo exerceri, populum ergo a populo regi. —

Nullum jurium majestaticorum exercitium concipi potest, nisi leges ferantur, delicta puniantur, et in genere saluti publicae consularur. —

A 3

In

In civitate democratica itaque feruntur leges, sed a populo, puniuntur delicta, sed a populo, et saluti publicae consuluntur, sed a populo.

Quoad modum regendi, democratia a reliquis civitatis formis non differt: differt unice, quoad ipsos regentes, qui in *Democratia Populus*, in *Aristocratio Optimates*, in *Monarchia unicus summus Imperans* sunt.

#### §. 3.

Ad determinanda itaque in democratiam cadentia commoda, et incommoda, solus imperantium numerus est respiciendus, atque ex eo unice res dijudicanda.

#### §. 4.

Commoda Democratiae sunt:

- a.) Ex persona Principis, qui subinde improbus esse potest, nil mali in rem publicam redundat.
- b.) Nemo subditis, quem odio prosequuntur, Imperans illis obtruditur.
- c.) Quodsi novatio in re publica accidat, non ad unius, aut aliquorum nutum perficitur, sed populus ea de re interrogandus est.

§. 5.

§. 5.

Incommoda Democratae sunt:

- a.) Modus ferendi leges nimis difficilis.
- b.) Lenta nimis salutis publicae cura.
- c.) Frequentia intestina dissidia.
- d.) Imbecillitas contra hostes.
- e.) Numquam ex Democracia exulans populi superbia &c.

§. 6.

Porro statum democraticum noscentibus perspicuum est, illum amplis regnis difficultissime, aut plane non applicari posse; quis enim docebit possibilitatem, quomodo in regno Germaniae, aut Galliae iurium majesticorum complexus penes populum esse possit. — Etsi possibilitatem concedam, semper tamen innumera nascuntur incommoda, si casu emergente tota res publica de re alicujus momenti cognoscere velit. —

§. 7.

Legibus, quae in unoquoque casu possibili saluti rei publicae considunt in antecessum jam stabilitis, Democratia aequa ac aliud regnum bene ordinata res publica dici potest: ast illa, quam hodierni libertatis oratores intendunt, regiminis forma, neque democratica appellari, neque bene ordinata res publica dici potest. — Legibus enim solitam rem publicam singunt, effrenatam vitam vivere, et non coörceri optant. —

Regio



Regio ubi ejusmodi principia obtinent improborum nebulonum latronumque spelunca merito appellatur. Bona ibi, fama, vitaque uniuscujusque sceleratissimorum hominum exponuntur criminibus, et tota rei publicae salus exulat.

Galliae fata hujus veritatem satis docent.

*Membrum 28*

*De Aristocratis.*

*§. 1.*

Parum discriminis tantum inter Aristocratiam, et Democratiam intercedit. — Est autem Aristocratis Species Poliarchiae, ubi penes Optimates juriū majestaticorum complexus residet.

*§. 2.*

Optimates repraesentant populum, et per eos populus imperium exerceat, quod in Democracy ipse exercebat. Discrimen inter utramque regiminis formam accuratius considerantes non latebit, multa ex aristocratis, in democratiam cadentia incommoda, exulare.

*§. 3.*

Ceteroquin ex Aristocratis definitione constat, iura majestatica, sed ab Optimatis exerceri, populum per consequens ab his regi.

*Quia*

Quia pars majestatis est, leges ferre, delicta punire, et saluti publicae consulere, ideo in Aristocracia feruntur leges, puniuntur delicta, saluti rei publicae consulitur, sed ab Optimatibus.

### §. 4.

Commoda Aristocracie sunt:

- |                               |  |
|-------------------------------|--|
| respectu<br>Monarchiae,       | <ul style="list-style-type: none"> <li>a.) Membri praecedentis §. 4. literis a. et b, allegata<br/>commoda Democratiae.</li> </ul>   |
| respectu<br>Democra-<br>tiae, | <ul style="list-style-type: none"> <li>b.) Facilior leges ferendi modus.</li> <li>c.) Magis expedita salutis publicae cura.</li> <li>d.) Rariora intestina dissidia.</li> <li>e.) Frena superbiae civium injecta.</li> </ul> |

### §. 5.

Incommoda Aristocracie sunt:

- |                         |   |
|-------------------------|---|
| respectu<br>Monarchiae, | <ul style="list-style-type: none"> <li>a.) Magis lenta salutis publicae cura.</li> <li>b.) Variae Optimatum opiniones.</li> </ul> |
| resp. De-<br>mocratiae. | <ul style="list-style-type: none"> <li>c.) Suppressio Populi.</li> <li>d.) Arrogantia Optimatum.</li> </ul>                       |

### §. 6.

Aristocratiam Democratia melius ordinatam rem publicam appellat: evidens enim est, quod inter Optimates pauciores, quam inter

B

innu-

innumerum populum unitas et concordia facilius conservetur bonoque  
rei publicae commodius ac citius consulatur. —

Inde fluit: Quo pauciores sunt, qui summam in re publica po-  
testatem tenent, eo melior est regiminis forma, eo felicior subditorum  
conditio.

§. 10.

Qui hodie ex corruptis hujus aevi principiis Monarchiam in Ari-  
stocratiā mutare tentant, quam maxime a scopo aberrant. Non  
enim innumeri pseudo Solones, quorum quisque suo studet emolumen-  
to, bono rei publicae consulunt, dissidia potius et rixas undique spar-  
gunt, omnia corrumptunt, perdunt atque evertunt. Non adm̄ dum  
multis, sed justis viris summum Imperium tribuere, ac illos justitiae  
ministros constituere magis certe cum Aristocraciae principiis conve-  
nit, facilius enim sic regio bene ordinatae rei publicae faciem retinebit.

Cap. III.

*De Monarchia.*

§. 1.

Illum statum monarchicum appellamus in quo jurium majestaticorum  
complexus penes unicam tantum personam est, quae vel Monarcha,  
vel Imperator, vel Rex, vel pro re nata aliter appellatur.

§. 2.

## §. 2.

Monarchia dividitur I. in absolutam et limitatam; II. in hereditariam et electivam.

Absoluta absque limitibus, limitata circumscripsit finibus, hereditaria nato, electiva creato Monarchae Imperium tribuit.

## §. 3.

Omnis Monarchiae species tam Aristocracie, quam Democracie anteponenda est; omnia enim in has cadentia incomoda in illa non reperiuntur.— Beati subditii dicendi sunt, qui unius probi hominis voluntate reguntur.

## §. 4. alias circuilli sideris

Quaenam inter Monarchias sit preferenda, disputatur. — Comoda et incomoda recensebo, quae in illas cadunt.

Comoda successivae Monarchiae:

- a.) Mortuo summo imperante nulli in electionem neo Monarchiae impendendi sumus.
- b.) Cessant interregna.
- c.) Magis parcent succedentes ditionibus, ac electi, quorum Imperium personalissimum tantum est.

Incom-

Incommoda:

- a.) Monarchae heres an probus an improbus, an justus an injustus sit, succedit.
- b.) Pluries exinde Rei publicae de minus utili Imperante propicitur.
- c.) Rei publicae salus ergo a fato solummodo dependet.

Commoda Monarchiae electivae:

- a.) Nullus subditis improbus summus imperans obtruditur,
- b.) Ante electionem in neo Principis mores inquire potest.
- c.) Electus semper bonus justus et utilis est.

Monarchia illimitata nulla habet commoda, maximum autem incommodum quod injusti principis voluntati nemo resistere valeat.

Monarchia limitata nullum e contra incommodum noscit, commodum vero ejus est, quod tirannidi, atque sevitiei Principum obesus sit.

S. 6.

Duplici modo limitatur Imperium; vel per leges, conventionales intellige; vel per collegia, quorum consensus ad alicujus momenti res expediendas summo Imperanti necessarius est.

S. 7.



## §. 7.

Ubi collegia Imperantium actibus limites ponunt, non ita publicae saluti consultum esse viderur, ac ubi per pacta cum Imperantibus inita majestas eorum circumscribitur.

## §. 8.

Quo commodius haec pacta cum Imperantibus celebrantur, eo maius in Rempublicam emolumentum redundat. Si ergo eapropter totus Populus convenire deberet, in maius hoc reipublicae detrimentum cederet ac si collegio Populum repraesentanti hoc jus competat. — Quo minus illud collegium, eo major cum Imperante pacisendi commoditas.

## §. 9.

Perlustratis cujusvis Monarchiae formae commodis atque incommodis, facile patet, praे omnibus Respublicas regendi speciebus Monarchiam electivam limitatam legibus excellere.

*Coroll.* Forma Imperii Romano germanici igitur meliorem excludit.

Intelligite illud germani cives, fundamenta allata perscrutamini, et si forte monstrosa quaedam vobis libertatis idea arrideat, cane, illam, pejus et angue fugite, quam foventes, e squilla enim rosa non nascitur, in abyssum ruitis.

Vivimus liberi sub Imperio regimur legibus iustis, tuemur contra hostes, et omni quam optare valemus beatitudine fruimur.

## Cap. IV.

*An forma Reipublicae a civibus mutari possit.*

## §. 1.

Statum politicum reformandi jus, subditis competere, Galliae saltem seditionis cives aperte profitentur — Sunt et in Germania ejusmodi, qui thesin hanc, quae merito Rei publicae pestis appellatur, recipiunt, stabiliunt, atque defendunt.

## §. 2.

Num argumenta quae in contrarium asserre mihi propositum erat libertatis sectatoribus placeant, num illos ad rectum tramitem reducant, dubito — Thesin cuius primae consequentiae arrident extirpare, vix absque armis possibile est, valet enim hodie notum procardicon non persuadebis, etiam si persuaferis.

## §. 3.

Omnem quidem Imperii summam in reges ac Principes ac populis translatam esse nemo dubitat — In statu juris naturalis considerati omnes sumus liberi, nemini, nullius Imperio subjecti. Ipsis, nostras actiones dirigendi, nosque defendendi jus, nativitas nobis tribuit. —

## §. 4.

Auctis successive nationibus necessitas postulavit, ut libertas ista quae in dissolutum vivendi modum degenerat, limitibus circumscriberetur.

retur. — Naturali libertate pöllentes homines ipsi perspiciebant, illam sibi alias nocivam esse.

§. 5.

Regulas itaque quas leges appellabant, excogitarunt statuerunt que, ut omnes determinatae alicujus reipublicae incolae secundum leges illas viverent. Ast quia nil nisi propria voluntas quemque, ut legibus consentanea viveret adigere posset, cognoverunt, vim aliquam compulsivam physicam vel moralem necessariam esse, vi cuius legibus subiecti ad obedientiam compellerentur.

§. 6.

Unius inobedientis causa totus igitur populus convenire debuisset, nisi uni aut pluribus ab universa gente fuisset concessa potestas, legum curam suscipiendi, pro temporum morumque mutatione novas leges condendi, subditos ad illas servandas adigendi, inobedientes vero coercendi, atque puniendi.

§. 7.

Transtulerunt ergo haec jura populi commoditatis gratia in principes, et ita illis Imperium in cives cum jure vitae et necis tacite concesserunt.

§. 8.

Nondum satis per id consultum fuisset rebus publicis, extraneis nisi incursionibus simul termini fuissent positi. — Irruebant sepe hostes in



in territoriorum provinciis, qui non constitutiones solum evertere, sed et bona privatorum invadere, ea civesque capere et omnia omnino perdere hinc inde conati sunt. Salus itaque publica exigebat, ut et sub hoc respectu cives eorumque bona securi essent. Nemine regionum defensionem suscipiente, necessitas cives coegerit, ut regnum, provinciarumque dominium eminens Principibus ac regibus concederent, sibi et contra ab illis, ut regna tuerentur stipulati sunt. — Ex eo tempore regiones sunt in dominio summorum Imperantium, hi vero non legum curam solum habere, sed quocumque modo bona civium tamquam sua, contra hostiles incursus tueri, et defendere tenentur.

## §. 9.

Prono alveo ex dictis fluit inter Principes et subditos pacta esse quae sub diverso respectu expressa et tacita dici possunt.

## §. 10.

Quia omnia regna ab initio fuerunt electiva inter populos et primos eorum principes electos pacta expressa fuisse, hodie autem ubi successio obtinet, tacita, aut potius continuata valere autumo.

## §. 11.

Territorii, quod Principes possident dominium eminens eos habere, et evidens, et regulis juris publici, Germanici praeprimis consentaneum est, per pactum enim cum nationibus initum jus ad rem, per

per quasi tradionem vero subsecutam, jus in re obtinuerunt; quod  
salvum illis maneat, oportet.

§. 12.

Imperantes hucusque editionum suarum dominium habuisse et in-  
de patet, quia partem regno ab hostibus avulsam a quoconque posses-  
sore vi et armis vidicarunt, de propriis regionibus libere disponuerunt,  
illas nimirum alienando, oppignerando, in solutum dando, cedendo,  
servitutes constituendo etc.

§. 13.

Es jure civili Romano non solum sed aliis etiam legibus naturali-  
bus perspicuum est, neminem jure suo reali paeprimis dominio invi-  
tum privari debere. — Sed quid subdit formam Rei publicae mutan-  
tes, ex Monarchia Aristocratiā, aut Democratia facere tentantes,  
agunt aliud, quam quod invito Principi dominium emens aufrant,  
illudque in se aut optimates transferant? Nonne per injustum, et legi-  
bus reprobatum hunc, omnia evertendi modum, in res alienas, prin-  
cipis nempe irruunt; nonne tamquam crassatores et raptore aequē,  
ac qui privatos spoliant, puniendi sunt? Nonne atrocior longe adhuc  
esse debet illorum poena, cum paepter delictum, quod rapiendo com-  
mittunt, invadant etiam sanctam personam Principis. — Criminis  
perduellionis et laesae maiestatis ergo simul sunt rei, quia opes aequē  
ac vita imperantium tutae esse debent, et securae.

§. 14.

Illud quod artuli argumentum non unicum est, quod statum rei  
publicae invito Principe mutari haud posse ostendit.

Salus rei publicae, quae suprema lex est aequē aliud postulat.  
Exigit enim et legum administrationem, et scelerum poenam, atque  
quod maximum est, totius rei publicae defensionem. Eversis antiquis  
principiis autem et evertuntur leges, manentibus non obtemperatur,  
violatores non puniuntur, tota itaque res publica perit.

C

Triste



Triste nobis Gallia exemplum exhibet: pax, fides, mores, ibi exulant, impune violentur leges, fiunt homicidia, imo sancta persona Regis, ejusque familia, violentae mortis periculo tota die exposita est

## §. 15.

Neque vicinae aliaeque gentes adigi possunt, ut novam regio, ali cui formam induci, invitae concedere teneantur: est enim inter gentes certa aliqua proportio, per universam Europam in aequilibrio collocata, quae si novando turbetur, illico populo contra populum jure naturae utente, arma sumere et aequilibrium restituere licet.

## §. 16.

Omnes, quoad regiminis formam essentiales, mutationes, in vicinas regiones habere influxum, quis in dubium vocabit? Nonne Gallorum turbae, quae maxime Imperio Germanico nocivae sunt, illud sat clare demonstrant?

## §. 17.

Tandem Principes in perantiqua possessione, eaque immemoriali sunt constituti. — Si autem jura, ne lites fiant immortales privato contra privatum usucaptionem, et praescriptionem concedant, si, cum praescriptum sit, nullam amplius actionem tribuant, quare Principibus haec jura negare volumus? Suntne hi pejoris quam privati conditionis?

Ex hodiernis principiis sunt certe; sed ve illis reformatoribus si ferro probabitur, quod verbis probare facile, persuadere difficultimum est.

## Cap. V.

*De remediis obviandi nefandis subditorum conantibus.*

## §. 1.

Nil sine ratione, ratio autem aut sufficiens, aut insufficiens, haec plerumque apparenter talis est.

## §. 2.

Ratio, quae motibus et perversis undique systematibus ansam dedit, inquirenda hic loci, et ponderanda venit.

§. 3.

Luxus indies crevit, indies ergo necessitas est aucta, pluribus ac olim divitiis privato, pluribus redditibus principibus opus est. Minus ergo possunt solvere subditi, pluribus indigent Principes, redditus ergo rerum publicarum ad eas alendas non sufficiunt,

§. 4.

Quamdiu subditi inopia laborant, felicitas statuum claudicat, ante omnia ergo de regula providendum est, quae civium inopiam tollit.

§. 5.

Cum luxus ratio inopiae sit, sublato luxu inopia cessabit. Sed quid facilius Imperantibus, quam luxum tollere, et vivendi modum unicuique congruum subditis praescribere. — Viets et amietus civium arcuiores limites admittit, nam ad quid est auri, argenti, ferici etc, tanta perditio.

§. 6.

Sublato luxu civium opes si sint reparatae, et quaedam apparenter talis ratio, turbidos adhuc redderet, civium animos, non insalubre forte esset, si his omnia sua gravamina deducendi, Principe demonstrandri concederetur facultas. — Vera gravamina si ibi tollerentur, apparenter talia vero, ejusmodi esse, subditis ostenderetur, optatam in rebus publicis pacem restaurari, et turbidos rebellium animos sopiri atque pacificari posse credo.

§. 7.

Remedio hnic, quod abundans est, si finis optatus non responderet, Imperantibus arma sumendi, civitatum formas tuendi, rebelles ferro extirpandi restaret necessitas.

## E P I L O G U S.

*Germani cives! Gallicos vitate mores, systemata in rei publicae perniciem  
tendentia respuite, nomen Germanorum cum omni portate. — Libertatem  
quam Galli sperant fucum, bonum publicum, quod praetendunt, reipublicae  
interitum, et novam constitutionem quam constat climaerea progeniem  
esse ne dubitetis.*

*Avertant fidera omnem ab Imperio Germano, rei domesticae diffi-  
cultatem, avertant bella, avertant interitum. Ita opto, ita spero, ita  
confido.*

## Cap. VI.

*Theses ex Iure publico controverso, ut amplior sit disputandi cam-  
pus; adiectae.*

I.

*Ito in partes in comitiis in causis religionis tantum locum habet, non in  
civibus.*

2.

*Iurisdictio ecclesiastica nova ad status Imperii pervenit ex jure superioritatis  
territorialis.*

3.

*Ecclesia Protestantium ab Imperatore, et summis Imperii tribunalibus dependet.*

4.

*Annus decretorius respectu superioritatis territorialis exceptio est, superioritas  
territorialis autem regula.*

5.

*Transplantatio subditorum coacta nec P. W. nec humanitati repugnat.*

6.

*Nulla in P. W. remedia contra gravamina extraordinaria praescripta sunt,  
sed potius prohibita.*

7.

*Unus Elector respectu plurium electoratum plura in eligendo Imperatore  
vota dare potest.*

VD 10

**ULB Halle**  
005 364 396

3





B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
White  
3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue  
Centimetres  
Inches

TATIO INAUGURALIS

DE

# MONARCHICO

ET

# LIARCHICO

QUAM

ILLUSTRI ICTORUM ORDINE IN PERAN-  
TORALI UNIVERSITATE ERFORDIENSI

ABSQUE PRAESIDE

PUBLICE DEFENDET

GRADU DOCTORATUS

DUS PHILIPPUS LISTEMANN,

PER EICHSFELDIAM ADVOCATUS RECEPTUS.

ERFORDIAE

OERLINGIANIS, ACADEM. TYPOGRA.

1792 4

8

1792 4

